Rosparcarii Benedicti: Quaestio de dispositionibus ad gratiam iustificantem.

QVÆSTIO
DE
DISPOSITIONIBVS
Ad Gratiam iustificantem.
Ex Angelici Doctoris 1. 2. Quæst. 112.

Permissu

Magnifici & Adm. Reuerendi Patris Domini Danielis Sigonij S. Th. Doctoris & Professoris, Canonici Cracouień. Vniuersitatis Cracou: Rectoris vigilantissimi.

Præsidente

Adm. Reueren: Patre, D. Martino Campio Vadouio, S. Th. Doctore & Professore, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Præposito, ac Theologicæ Facultatis Decano, Præceptore obseruandiss.

A

P. BENEDICTO ROSPARCARIO S. Th. Baccalaureo, Pœnitentiario in Ecclesia Cathedr: Cracou. Ad disputandum Proposita.

In Lectorio DD. Theologorum, Anno Domini, M. DC. XXIX. Mensis Februarij Die 12 Hora 14

1629

Ad insignia Perillustris & Adm̃. Reuerendi Domini IOANNIS FOXII, *Archidiaconi Crac.*



QVisquis erat gemino iunxit qui fædere falces,
Atq; tibi FOXI hæc ſymbola prima dedit.
Virtuti ille tuæ nihil impenetrabile ſenſit,
Publica quo tandem flagitat vtilitas.
Nec tua hebet tantis prudentia mollibus, vlla
Cum geminas falces, vis hebetare nequit.

M. Iacobus Vitellius.

Perillustri & Adm. Reuerendo Domino,

D. IOANNI FOXIO, I.V.D. Protonotario Apostolico, Archidiacono Crac: Scholastico Scalmirień. Domino, & Patrono colendissimo.

FELICITATEM PERPETVAM.

AVGVSTISSIMVM illud donum, diuinitus homini concessum, quod gratiam Dei nuncupamus, Perillustris & Admodum R. D. non solùm habet vim, animarum nostrarum maculas omnes delendi; vulneraq; earum per peccatum inflicta sanandi: sed etiam candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores, efficiendi. Hæc enim gratia diuina, animæ inhærens, eam non solùm Deo gratam reddit, sed etiam diuinæ naturæ consortem facit. Hæc sola est, quæ inter filios Dei, & filios diaboli, discernit: quæ Deum placat, & homines suo creatori conciliat. Hæc est, quam nobilissimus omnium virtutum comitatus, dum anima diuinitus infunditur, vndiquaq; circumfusus, ambit. Hæc est vestis nuptialis, homini eximium honorem impartiens, vt in summi regis conuiuium admittatur. Hæc est, indumentum iustitiæ, & vestimentum salutis, quo anima tanquam sponsa decorata corona, & ornata monilibus circumdatur.

cumlatur. Hæc est, semen Dei; ex quo enascuntur suauissimi fructus Spiritus sancti. Hæc est, aurum ignitum & probatum, quod animum hominis, cælestium diuitiarum thesauris, locupletat. Hæc est, calculus ignitus, qui à peccatis animam pœnitentis purificat, & sanctificat. Hæc est, limpidissimus fons aquæ salientis in vita æternam; ad quem fontem inuitat Isaias. Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate. Ad quē, profectò salutarem ac diuinum fontem, quibus, & qualibus passibus sit accedendum, ac properandum, hæc quæstio abundè edocet: quam Tuo nomine Perillustris & Adm. R. D. insignitam ac illustratam, lubens offero. Sperans fore, vt hunc paruum laborem, ex propensa voluntate profectum, & è pœnitentiaria, Tua liberalitate fundata, & dotata, in publicum certamen prodeuntem, solita benignitate excipias: simulq; gratias Deo præpotenti ago, quod eius gratia protegente & dirigente, legatione, & ab Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino Ioanne Wężyk, Archiepiscopo Gnesnensi, Legato nato, ac Regni Poloniæ Primate, primoq; Principe; & à Clero totius Prouinciæ nomine, commissa; ad Beatissimum Patrem & D. N. VRBANVM VIII. Supremum in terris Christi Vicarium, felicissime perfunctus, saluus & incolumis rediisti. Viue diu, quàm felicissimè Perillustris & Adm. R. D. & Patrone colendissime, & his indefessis laboribus, & ex charitate in Deum, & in eius Ecclesiam susceptis, quam amplissimam coronam, in illa felicissima æternitate, ad quam aspiras, promerearis. Ex Pœnitentiaria Foxiana, Crac: in Arce, die 30. Mensis Ianuarij, Anno Domini, 1629.

Perillustris & Adm. R. D. Vestræ

obsequentissimus cliens.

Benedictus Rosparcarius.

QVÆ

QVÆSTIO

De Dispositionibus ad gratiam iustificantem.

V Homini adulto post lapsum, ad recuperandam gratiam, necessarii sint aliqui actus, per modum præuiæ dispositionis, quibus diuina gratia præueniente excitatus, & adiutus, liberè non tantum moueatur, & disponat se ad infusionem gratiæ; sed etiam vitam æternam mereatur; nec ne?

CONCLVSIO I.

Omnibus adultis post lapsum, ad consequendum donum gratiæ gratum facientis, necessarij sunt aliqui actus, ab ipsorum intellectu, & voluntate, liberè eliciti.

COROLLARIA.

1. *Actus internus voluntatis, disponens ad gratiam iustificantem, semper præsupponit actum intellectus sibi proportionatum.*

2. *Intellectus adiutorio Dei speciali eleuatus, recogitando in amaritudine animæ suæ, grauitatem, multitudinem, & fœditatem, peccatorum; ponderando amissionem æternæ beatitudinis, reducit voluntatem à peccato & disponit ad gratiam.*

3. *Voluntatis motus, quibus sequens intellectum recedit à peccato, hi numerantur: odium & detestatio peccati commissi, dolor de peccato cum intentione destruendi illud, & nolle in posterum peccare.*

4. *Voluntatis actus quibus disponitur ad gratiam, propositum melioris vitæ, & obseruationis mandatorum, desiderium satisfaciendi Deo, spes impetrandæ à Deo misericordiæ, timor filialis, quo timemus, ne qua in re Dei maiestatem lædamus.*

5. *Actibus internis voluntatis, & intellectus, regulariter sunt coniuncti actus externi, qui*

per exteriores facultates exercentur, & à voluntate imperantur: suntq́ signa actuum internorum, non tamen necessaria, vt sunt, fletus, vsus cineris, ieiunij, cilicij, &c.

6. *Qui non propria voluntate peccatum incurrunt, & vsum rationis non habent, vt sunt infantes & furiosi, non exigitur ex parte eorum aliqua præparatio ad gratiam.*

CONCLVSIO II.

Actus quibus homo liberè se disponit ad gratiam iustificantem, debent prouenire, ab auxilio Dei speciali, interius animam mouentis.

COROLLARIA.

1. *Actus præparans ad gratiam à Deo est principaliter, secundario à libero hominis arbitrio. Hinc dicitur, hominis est præparare animam, & iterum, voluntas hominis à Deo præparatur.* Prouer. 16.

2. *Motus liberi arbitrij à Deo moti, in instanti, vel successiuè, causa est quod aliqui subito, aliqui paulatim disponantur ad gratiam recipiendam.*

4. Præ-

4. *Præparatio hominis ad gratiam habendam, quæ est simul cum ipsa infusione gratiæ, est perfecta, quæ verò præcedit donũ gratiæ gratum facientis, sed tamen est à Deo mouente, imperfecta censenda est.*

5. *Qui magis est præparatus, ex auxilio Dei, ad gratiam habendam, pleniorem gratiam recipit, hæc ratio vera est, non tamen prima. Prima verò & radicalis ratio, quare vnus maiorem habeat gratiam, quàm alius, est Deus: qui diuersimodè sua dona dispensat, vt ex diuersis gradibus, pulchritudo, & perfectio Ecclesiæ consurgat.*

6. *Liberum arbitrium, nullas omnino vires habet, sine auxilio gratiæ, ad bonum supernaturale incipiendum, vel perficiendum.*

CONCLVSIO III.

Veritas est irrefragabilis & diuina, quæ asserit homini præparanti se ad gratiam, per actus fidei, spei, charitatis & pœnitentiæ, infallibiliter gratiam conferri.

COROL-

1. *Præparatio ſecundùm quod eſt à libero arbitrio, nullam infallibilitatem habet ad gratiæ conſecutionem, ſed ſecundùm quod eſt à Deo mouente.*

2. *Vltima diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, in genere cauſæ materialis antecedit, in genere verò cauſæ formalis, & efficientis, eſt effectus eiuſdem gratiæ.*

3. *Fides quæ eſt initium & prima radix iuſtificationis, dum docet Deum eſſe iudicem iuſtiſſimum, & vindicem peccatorum acerrimum, qui gehennam ignis in extinguibilis, peccatoribus obtinatis & impœnitentibus, præparauit, eſt cauſa diſponens ad gratiam.*

4. *Dilectio Dei, non illa, quæ eſt prior tempore infuſione gratiæ; ſed illa, quæ eſt in eodem inſtanti cum gratia, eſt proxima diſpoſitio ad iuſtitiam recipiendam.*

5. *Pœnitentia quæ à Deo datur, ad obtinendam vitam æternam, & ſalutem ſtabilem in nobis operandam, animamq́ viuificandam, habet neceſſitatem ad conſecutionem gratiæ gratum facientis.*

6. *Spes, dum ſperat Deum patrem eſſe clementiſſimum & nolle mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, informata charitate, proxime ad infuſionem gratiæ præparat.*

Conclvsio IV.

Actus qui proximè & immediatè, hominem diſponunt, ad gratiam ſanctificantem, ſunt meritorij, non gratiæ quæ iam habetur ſed gloriæ, quæ nondum habetur.

COROLLARIA.

1. *Diſpoſitiones procedentes etiam ex auxilio gratiæ, ſiue ſint proximæ, ſiue remotæ; non merentur de congruo primam gratiam iuſtificantem propriè loquendo de merito congrui.*
2. *Opera meritoria hominis iuſti vt procedunt ex libero eius arbitrio, non habent condignitatem cum vita æterna, ſunt tamen meritoria ſecundum quandam congruitatem; at quatenus procedunt à gratia iuſtificante, ſunt meritoria vitæ æternæ de condigno.*
3. *Poteſt quis ſibi mereri vitam æternam, & non*

reparationem post lapsum futurum, sed sola Dei miseratione, hoc valet obtinere.

4. *Bona opera ab existente in peccato mortali, licet nullo modo sint dispositiones ad gratiam, conducunt tamen ad euitandum nouum peccatum, quando sunt in præcepto, & ad aliquem habitum virtutis moralis generandum & vt dent bona terræ, cor faciant humile, minuant tormenta gehennæ.*

5. *Salus hominis non est in potestate eius, tanquam in primo inchoante, aut incipiente, sed tanquam in consentiente liberé & cooperante, supposito auxilio gratiæ præuenientis.*

6. *Dispositiones proximæ ad gratiam sanctificantem, ex speciali auxilio Dei prouenientes, etiam præcedentia merita, per peccatum mortificata, viuificant; quibus ex iustitia, supposita promissione ex misericordia, merces æternæ vitæ debetur.*

Soli Deo Honor & Gloria.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij.